

112

PRIMIPIL. BIS PRAEF. EQVIT. Tantæ dignitatis erant Præfecti Equitum, ut Tribunis Legionum aliquando prælati sint, quod Claudius, ut tradit Sveton. cap. 25. immutavit, quando *equestres militiae ita ordinavit, ut post cohortem alam, post alam Tribunatum Legionis daret.* Recte igitur Tribunatus ultimo loco in nostro marmore ponitur, ad quem post tot militiae gradus P. Cornelius ascendit.

PRAEF. CLASS. Ita in Collectione M. Antonii de Gozze. Classis nomine terrestres etiam militiae intelligi docent Festus in V. *Classis*, & Gellius lib. X. cap. 15. & Servius ad illud Virgiliti *Æneid.* lib. VII. v. 713.

*quos frigida misit*

*Nursia & Hortina Classes*

ubi *Classibus* significari equites scribit: Verum hic maritimam aliquam Classem designari arbitror, cujus Præfectus fuerit P. Cornelius; Etenim præter perpetuas illas Classes, quæ ad maris tutelam, & ad annonæ comportationem, institutæ fuerant, Ravennatem nempe, & Misinatem, Alexandrinam, Africanam, Ponticam, & Mœsicam, &c. quas & vetusti Scriptores, & antiqua marmora memorant, plures alias in Imperio Romano fuisse pro ratione temporis instructas docet nos Leo Imperator *Tact.* c. 19. *Triremium singularum, militumque, qui in eis vehebantur, numerum definire facile non est: temporum enim ipsorum opportunitas ad copias hostium expugnandas tum triremium numerum, tum militum etiam, omnesque res præterea ad bellum necessarias indicabit.* Hæ porro, quum vel nec ita magnæ fuerint, vel ad certum dumtaxat tempus constitutæ, peculiari nomine caruerunt. Hinc qui illis præerant, *Præfecti Classis* tantum dicebantur; atque ita occurrunt in *Grut.* p. CCCLXX. 1. CCCCLXXIV. 8. & in *Gudio* pag. CLXXIX. 2. Sed, si conjecturis res agenda sit, fuit ne P. Cornelius PRAEFECTUS CLASSIARIORUM? De Classiariis erudite Fabrettus de *Col. Trajan.* pag. 69. Præfecto ab ingenuo regebantur, quem *Præfecti* nomine appellatum fuisse svadet Livius lib. XI. a Fabretto citatus. *Naves. XX. deductæ, navalibus sociis civibus Romanis, qui servitutem servissent, compleverunt, ingenui tamen iis PRÆESSENT:* & clarius Tacitus *Ann.* lib. XIII. *Clodius Quirinalis PRÆFECTIVS remigum, qui Ravenna haberentur.* Ac illud quidem animadversione dignum est, quod P. Cornelius a pedestrium copiarum munere nempe centurionatu, ad equestriæ alæ, inde ad navalem, sive Classis, sive Classiariorum Præfecturam